



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Iuris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Tit. III. De Baptismo, & ejus effectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94613](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94613)

Concil. Trid. in tit. de Sacram. in genere, sess. 7. cap. 12 & c. 4. ead. sess. de Baptismo, & sess. 14 sub Rubrica de Ministris huius Sacram. & absol. can. 6. Insuper notandum est, quod in Ministro Sacra conficiente requiritur intentio Ecclesiae concors, faciendique quod intendit facere Ecclesia, Can. 11. de Sacrament. sess. 7. §. pen. inf. eod. c. Spiritus Sanctus, & cap. Sic autem, cum seq. 1. q. 1.

Quo ad Tertium. Septem sunt Sacramenta Ecclesiae: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Penitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, cap. 1. de Sacram. sess. 7. Et ex his quaedam sunt necessaria, quia sine his homo salvus esse non potest, ut sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Penitentia, Extrema Unctio; led nota, quod Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio dicuntur necessaria, quia condemnari non debent, d. §. Sacramentorum. & Gloss. hic in Verb. pratermitti. Quae omnia ad particularem cujusque protectum sunt particulariter instituta. §. Sacramentorum, hoc tit. Alia sunt non necessaria, quae possunt omitti, ut Ordo, & Matrimonium. Quaedam sunt necessaria ad ingressum, ut Baptismus, quaedam ad progressum in Ecclesia, ut Confirmatio, Eucharistia, Penitentia, quaedam ad egressum, ut Extrema Unctio. §. Et rursus, ibi, c. Prater hoc. §. Porro, d. 32. cap. Spiritu Sancto, de Consecr. d. 5. cap. Hisque, 26. q. 7. cap. Qui recedunt, & c. De his, 26. q. 6. cap. sub infirmis, 26. q. 7.

Quo ad Quartum. Sacramenta ex duobus continentur: ex Elemento, & Verbis. §. Constat, inf. eod. Verba sunt, quae visibilis formae efficaciam expriment. Elementum est, quicquid sub visibili materia invisibilem gratiam designat, & continet, unde accedentibus verbis ad Elementum fit Sacramentum. Et nota, quod non omnia verba, quae in consecratione Sacramenti proferuntur, dicuntur constituere Sacramentum, sed ea, quae sunt formalia, ut puta: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. Hoc est enim Corpus meum, &c. ita notatur in c. Detrahe. 1. q. 1. Item nota, quod dicitur per accessionem verborum ipsi Elemento effici Sacramentum, quia hoc illum habet sensum, ut simul concurrat materia, & forma, Elementum, & Verba secundum omnes DD. Ideo Aqua in Baptismo non est Sacramentum, nisi adsint verba, quae accedunt Elemento tanquam forma, & in fine ultimae syllabae incipit, & desinit esse Sacramentum, sed tamen remanet res Sacra. Gloss. inc. 1. de Consecr. d. 4. in Verb. Sacramentum.

Quo ad Ultimum: Sacramenta ab his ministrantur, quibus ab Ecclesia est legitima attributa potestas, ut qui Ordines ad Sacramenta conficienda, & administranda receperunt; ut videmus in sequentibus titulis.

T I T. III.

De Baptismo.

Postquam actum est de Sacramentis in genere, nunc tractatur de ipsis in specie: Et quia Baptismus est Sacramentum fundamentale omnium Sacramentorum, cum sine eo homo salvus esse non possit, cap. Evenerit, c. fin. de Presbyt. non baptiz. Ob id de ipso nunc agitur, & videndum est:

1. Quid sit Baptismus?
2. Quot ejus species?
3. Qui baptizari possint?

Doct. Clericali Tom. II, Lib. VIII.

4. Qua in eo necessaria?

5. Qui baptizent?

6. Quo in loco fiat?

7. Qui sint effectus Baptismi?

Quo ad Primum: Baptismus hic in principio definitur, ut sit Ablutio corporis exterior, quae adhibita certa forma verborum, interiori animae ablationem designat, & operatur.

Quemadmodum enim olim Circumcisio in populo Dei, in fidei, justitiaeque signaculum instituta, ad significationem purgationis originalis, veterisque peccati Parvulis valebat; sic & Baptismus ad hominis innovationem valere coepit, cujus vera doctrina in Ecclesia Romana reperitur, ut de Baptismo sess. 7. can. 2. 6. & 8. in Concil. Trid.

Quo ad Secundum: Scriptum à quibusdam reperitur, varias esse Baptismi species; & si nominis corticem inspiciamus, inveniemus, illud esse æquivocum, & genericum, & ad omnem locationem, ut ajunt, pertinere. Prima species diluvii appellata est, quo peccata sunt excisa, cap. 7. & 8. in lib. Genes. Secunda species in transitu maris rubri, in quo aqua, nubes, & ignis fuit, cap. 11. ad Corinthios. Tertia legalis, qua immundi lavabantur, & ita purificati in castra Domini redibant, ut Eccles. c. 34. Quarta Divi Joannis, non omnino spiritalis, sed tanquam introductoria ad Poenitentiam, ut in c. 1. & 19. in Actib. Apostolor. Quinta Domini Nostri Jesu Christi spiritalis, simplex, & tota, de qua specie nunc intelligimus. Sexta lacrymis constans, verè laboriosa, ut in Psalmo 6. Septima per Martyrium, & Sanguinem, qua Dominus noster baptizatus est, ut c. 12. in Evang. Marci, & 12. in Evang. Lucae.

Verum brevius tres species constituuntur Sanguinis, Fluminis, & Flaminis, cap. Quod quidem, hoc tit. cap. Baptismi vicem, de Consecr. d. 5. c. p. Distrab. cap. Debitum, 1. q. 1. cap. Apostolicam, de Presbyt. non baptiz. cap. Baptismi vicem, de Consecr. d. 4.

Sanguinis, quando quis, ante Baptismum aquae, martyrium fert ob Dei nomen, ut fecit latro in Cruce, & Sancti fecerunt Innocentes, d. c. Baptismi vicem, & c. Firmissime, 15. q. 1. Item Sancta Emerentiana, & alii plurimi, qui Baptismo Sanguinis fuerunt baptizati; de quo plura scitu digna scripti in meis Decisionibus de Baptismo Decis. 27.

Flaminis Baptismo quis mundatur, quando illum ante mortem enixe desiderat, & perfecte dolet de suis peccatis: vel justo errore credit, se fuisse baptizatum, ut dicit Tolosan. lib. 2. in suo tractatu, Syntagm. Jur. c. 4. Et ego de Baptismo, D. 26.

Fluminis est Baptismus supra delineatus. Sunt qui distinguunt Baptismum in duas species: In Baptismum Fidei, & Cognitionis, quando quis cognoscens virtutem huius Sacramenti sanctissimi ad ipsum accedit: Et in Baptismum fidei simpliciter; & est Baptismus ille, qui per habitum fidei suscipitur, c. Parvuli fideles, de Consecr. d. 4. §. Non tamen, hoc tit.

Quo ad Tertium: Regula est constituenda, omnes posse baptizari, cujuscunque sint ordinis, aut sexus, aut qualitatis, ita ut nec muti, nec caeci, nec surdi, nec ægrotantes, aut parvuli excludantur, d. §. Non tamen, cum seq. De Consecr. d. 4. c. p. Quæris. Nec refert, quod non possint respondere, dummodo eorum nomine alii profiteantur, atque respondeant. Quinimodo & dormiens, & amens baptizatur, dummodo antea propositum habuerint suscipiendi baptismum.

D

§. De

J. De dormientibus, hic, d. c. Quæris, c. Majores, §. fin. eod. Accedat, quod & ille baptizatur, qui omnino labens non sit, dummodo absolute non cogatur. §. Sed & si quis, h. r. Qui postquam est baptizatus, cogitur permanere in fide, d. c. Majores. Non omittam etiam, non natum adhuc posse baptismum suscipere, si forte dum nascitur in periculo mortis existit, c. Baptizari, de Consecrat. dist. 5. Id tamen est animadvertendum, quod non est ille baptizandus, quem credimus firmiter fuisse baptizatum. §. de eo, h. r. Quemadmodum è contra quem baptizatum non credimus, ille baptizatur, §. Illud, h. r. c. Cum itaq. c. Si nulla, & c. fin. de Presbyt. non baptiz. Unde colligitur quod semel baptizatus, amplius non est rebaptizandus; & si quis scienter iterum ad baptismum rediret, puniretur. §. Quod si quis sciens, h. r. c. Qui his: de Consecr. d. 4. Et in Concil. Tridentin. de non rebaptizand. parvulis, sess. 7. in tit. de Baptism. cap. 13. Itaut etiam qui hoc ignoranter fecit, non possit nisi ex maxima necessitate ordinari, d. §. Quod si quis sciens, d. c. 13. Quod durum videtur, cum ignorantia deberet excusari; & hic est unus casus, in quo alicui infertur præjudicium sine sua culpa, arg. i. q. 5, cap. 1. l. Prospexit, ff. Qui, & à quibus. Et in hoc videndus est Abbas in c. ex litteris, de Apostat. Et è contra qui bis eandem personam baptizaret, esset deponendus, c. Illisquoque, h. r. c. fin. eod. Abb. ubi supra.

Quod ad Quartum. In Baptismo hæc necessaria sunt, Aqua, quæ naturalis esse debet, simplex, & pura, c. 2. de Baptismo, sess. 7. Verba secundum formam traditam, quæ sunt Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quæ in tantum sunt de forma, ut si dicatur Ego te baptizo in Nomine Genitoris Geniti, & Procedentis ab Utroque. Item si dicatur in Nomine Jesu Christi, vel in Nomine Trinitatis, non sit Baptismus: latè per Cardin. Anselmum in suis Institut. Theolog. lib. 2. cap. 11. Plura de forma Baptismi, scitu digna ego disserui in meis Decisionibus De Baptismo Decis. 30. ibi videnda. Ministri est, qui eadem verba juxta intentionem profert. Qui autem sint Ministri? infra videbimus. Ad sunt quæ adhibentur in Baptismo potius ad decorem, quam ad essentiam. §. Penult. hoc tit. cap. 1. c. penult. de Baptism. d. c. De trah. 1. quæst. 5, c. Sinè, c. Antè, de Consecr. d. 4. Clem. 1. de Baptism.

Quod ad Quintum. Baptizandi Potestas, & Cura ad solos pertinet Sacerdotes; nec regulariter Diaconi admitti possunt. §. Baptizandi, hoc tit. c. Constat, de Consecr. d. 4. sess. 7. per Concil. Tridentin. in tit. de Sacram. in genere, cap. 10. nisi in casu maximæ necessitatis, quo casu etiam Laicis hoc permittitur, etiam feminis, de §. Baptizandi, d. c. Constat, c. In necessitate, d. 4. de Consecr. Et si quis est baptizatus à Laico, tenet baptismus, si cut tenere videtur, si ab hæretico baptismus conferatur. §. Sed si quis, h. r. c. 4. de Baptism. sess. 7. Sed tamen verum est, quod quis se ipsum non potest baptizare, quia debet esse diversa persona Baptizantis, & Baptizandi. §. Sed quamquam, h. r. concordat. c. Per tuas, alias Per nostras, de Jur. Patron. Unde infertur quod Judæus in mortis articulo constitutus, si in aquam seipsum immergat, dicens. Ego me baptizo, debet iterum ab altero baptizari. §. Unde, h. r. c. Debitum, ext. h. r.

Quod ad sextum: Baptismus conferri debet in Ecclesiis, ubi adsunt fontes ad hoc Sacramentum explicandum. §. fin. hic, ita not. in Clement. 1. eod.

Duo tamen excipiuntur casus. Primò casus necessitatis. Secundo excipiuntur filii Regum, vel Principum propter eminentem dignitatem, c. fin. de Off. deleg. cap. Ne alicui, de Privileg. in 6.

Quod ad Postremum. Ex Baptismo effectus iste evenit præcipuus, ut per eum aperiatur, quasi janua ad Ecclesiam, & aperiatur via ad celestem gloriam, & æternam salutem; nam qui renatus non fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, æterna felicitate frui non poterit. Insuper operatur Baptismus peccati originalis remissionem, animæ regenerationem; non tamen operatur, quod homines peccare non possint, quemadmodum nonnulli à fide aberrantes affirmare sunt ausi. Quorum opinio à Conc. Trid. can. 6. de Baptif. sess. 7. improbat. Et quantum dicimus per Baptismum tolli peccatum originale, dices id verum esse, sed tamen relinquit nobis ad exercitium, & ad pugnandum, ut gloriosius coronari mereamur. §. Thom. 3. p. q. 69. art. 1. & 2. D. Bonav. in 4. sent. d. 4. 1. part. 1. q. 2. & sic intelligitur textus in §. Non tamen, hoc tit. Tandem alter præcipuus Baptismi effectus est Character, nempe signum quoddam spirituale indelebile, impressum in anima baptizati. Concil. Tridentin. de Baptism. sess. 7. can. 9. & de eo vide Decisiones meas de Baptism. decis. 33. in qua duodecim effectus Baptismi numerantur.

TIT. IV.

De Sacramento Chrismatismatis.

Postquam tractatum fuit de una specie Sacramentorum, nunc de alia disserui, nempe de Sacramento Chrismatismatis, quod post Baptismum confertur, & in hoc titulo videbimus:

1. Quid sit Sacramentum Chrismatismatis?
2. Quibus conferatur?
3. A quibus?
4. Qui debent intervenire?
5. Qui sint ejus effectus?

Quod ad Primum: Est Sacramentum, quod post Baptismum suscipitur, & arma Divinæ gratiæ ad pugnandum adversus animarum hostem contribuit. §. 1. cum seq. hoc. c. 1. & 2. de Consecr. d. 5. Et est Sacramentum verum, & proprium, quod characterem imprimit, cap. 4. sess. 23. de Sacram. Ord. c. 1. de Confirm. sess. 7.

Quod ad Secundum: Regula est generalis, quod his omnibus conferatur, qui sunt baptizati. §. 2. hoc tit. Sicut olim hostia prius lavabatur in litore, & postea offerebatur in holocaustum, ut not. in cap. 1. de Consecrat. d. 4. Nec possunt tenere, aut lavare nisi hi, qui sunt baptizati, & confirmati. §. Admonendi, hoc. eod. tit.

Quod ad Tertium: Solus Episcopus confert hujusmodi Sacramentum. §. Unde infr. eod. c. un. prope finem de Sacra Unctione, cap. 3. de confirmat. sess. 7. d. c. 4. sess. 23. c. De his, de Consecr. d. 1. cap. Quanto, ext. de Consecrat.

Quod ad Quartum: Requiritur Unctio in fronte cum verbis idoneis: Patrinus; qui quasi fidei iussor apud eum existat, quemadmodum sit etiam in Baptismo. §. Illud, hoc. tit. Cujus Patrini officium est, puerum in fide instruere, cap. Vos ante, de Consecr. d. 3. Et est advertendum, quod non potest in Patrinum eligi, nisi qui est baptizatus, & oleo Chrismatismatis delibutus, c. In Baptismate, de Consecr. d. 4. ut supra etiam dixi. Quemadmodum nec Pater, nec Abbas respectu filiorum, & Monachorum. §. Parentes, h. r. cap. Si vir, de Spirit. Cognat. Quam-